Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

DA BOX

No. 3312.



M. Fischer fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

10.

# PANEGYRICVS, IOHANNIS BOCERI.

AD REVERENDVM IN DEO PRINCIPEM ET DOMINVM, DOMINVM ANDREAM BARBEY, ECCLESIAE LVBECENSIS ANTISTITEM, ET CHRISTIANISSIMI DANORVM REGIS SVPREMVM CANCELLARIVM.

*Cui breuis omnium Epiſcoporum Cathedralis Eccleſiæ Lubecenſis Catalogus adiunctus eſt.*

ROSTOCHII
EX OFFICINA LVDOVICI DITII.

M. D. LVI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

# IOHANNIS BOCERI.

## *Ad Reuerendum in Deo Principem & Dominum, Dominum* ANDREAM BARBEY, *Eccleſiæ Lubecenſis Antiſtitem, & Chriſtianiſsimi Danorum Regis ſupremum* Can*cellarium.*

ERGO *quod meritis et ad huc ſua præmia factis,*
*Dat uirtus prognata polo, quod honorib. auget,*
*Magnarumq; uehit ſumma ad faſtigia rerum,*
*Iuſticiæ ſacros, ueræ nil laudis egentes,*
*Et claros pietate uiros, tu maxime Præſul*
*Rarior ē multis, quos mille laboribus urget,*
*Et mergit duris Sors inuidioſa periclis,*
*Declaras, dubij quem uis non impia fati*
*Tot curas inter grandes, ueroſq; labores*
*Ac aulæ fluxus, & magna negotia rerum,*
*Depreſſit, uerum ſublimis mentis acumen,*

Nec uirtus egreſſa modum, nec gloria præceps,
Heroas inter ſummos, Regeſq; potentes,
Te conſultorem ſtatuit, uitæq; magiſtrum,
Addidit, & meritos famæ conſtantis honores.
At tibi cum facili dos hæc non indita caſu,
Sed superum fauor, & fauſtæ clementia ſortis,
Et tibi difficiles tantum tribuere labores,
Te dignis igitur, Præſul, celebrare Camenis
Quis nollet? magnumq́; tibi per ſecula nomen
Condere, nec mirum, pietas ſi ruſtica ſueuit,
Flauentes Cereri ſpicas, frugeſq; tenellas,
Veris opes Floræ, turgentia buſtaq́; Baccho,
Arbuta Pomonæ, baccas offerre Dianæ,
Si quoq; noſtra tibi, quamuis inculta, dicamus
Carmina, tu ſaltem præſens in pectore numen
Eſto mihi, nullum ſine te ſperare fauorem
Poſſumus, at robur nobis ſi fortiter addes,
Tum neq; Threijtio doctas è uertice Muſas,
Seu poſcam cupidis Phœbeia numina uotis.
In tua ſed celeri plenoq́; encomia curſu,
Vis ibit noſtræ, quantumuis arida, uenæ,
Cunctaq́; contendet ueris euoluere Muſis:
Quod decus, & quanto tibi gloria maxima niſu,
Creuerit, auguſto quantas ſub pectore dotes

Poßideas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Poſsideas? magnæ qualis ſolertia mentis,
Daniacas ſuſtentet opes? ubi maximus Heros,
Balthica finitimis confinia littora Gottis,
Antiquis Cimbris, magnis habitataq; Danis,
Rite tuis monitis, & ſumma laude gubernat:
Heros, quo noſtro non eſt præſtantior æuo,
Cuius in excelſo poſuerunt pectore ſedem,
Sacra fides, pietas, pudor, & conſtantia, uirtus,
Quem terris dudum doluerunt fata morari,
Et tantæ laudis, ſibi conſcius inuidet æther.
Huic te ſors magno, Præſul, coniunxit honore,
Et regni ualidas iuſsit defendere uires,
Et te præcipuos inter, quos celſa patronos,
Dania proſequitur meritis, & laudibus effert,
Conſtituit, largæq; dedit præconia famæ.
Ergo quis inuidiæ locus? aut quis pugnet apertas,
Ingenij contra dotes, ſortemq; benignam?
Scilicet ex meritis quæ ſors, aut gloria factis
Naſcitur, inuidia merito caret, inuida quamuis
Fraus illi, liuorq; malus letaliter obſtet.
Nec tua perpetuo uentis iactata ſecundis
Sors, uerum caſu tua mens ſublimior omni,
Fortunæ ſuperare uices, potuitq; modeſti
Ingenij ſeruare modum, non ſurgere læto

Succeſſu nimium, neq; deſperare maligno.
Tu quoq; ſponte tua ( felix ter deniq; felix
Q em Dij tam facili uoluerunt creſcere ſorte )
Eueheris, patriæq; tuæ, generiq; tuorum,
Haud quaquam inferior, meritum, quis uera negabit?
Impleuit fortuna locum, non inuida tantis
Dotibus, excellens tibi quas natura reduxit
In patriæ decus, & laudes, o Sydere dextro
Edite, cui multum diuum clementia fauit.

Non decus exiguum, tenuis nec gloria, ſi quem
Fata uocant, ſummaq; poli de uertice uires,
Corporis atq; animi tribuit non durus Apollo:
At ſapit æthereis qui ſe ſubmiſerit aſtris,
Fortunæq; ſuæ partes, uitæq; tenorem
Integer a uitijs tranquillo fine tuetur.
Sunt quoq;, quis dubitet? ſunt diſparis omnia uitæ
Munera, quæ cœlo miſeris mortalibus alto,
Diſtribuit ſuperum Rector, quo tempore primum,
Cœleſtes reſerare fores, furtumq; parare,
Auſus cœlitibus procaci mente Prometheus.
Aſt homines animo ſortem quæ contigit æquo,
Ferre decet, uetitis nec Diuos lædere uotis.
Nec uaga fortunæ ſeries, non omnibus una.
Cœlitus arridet, triſtes inglorius annos,

Hic

Hic agit ærumnas inter, duroſq; labores,
Implicitus magnis conuulſus & undiq; noxis,
Atq; Deos multum incuſat, fruſtraq́; precando
Indigus; inuitæ condemnat tempora lucis:
Huic polus aſpirat leuior, uentiſq; ſecundis,
Vtitur, inceptiſq; fauet fortuna, nec ullo
Ingemit exitio, rebuſq; ſuperbior amplis,
Temperat arbitrio fortunam, atq; omnia nutu
Exigit, et ſummum ſua poßidet arca tonantem.
Vſq; adeo in cunctis fati uis aſpera rebus
Præualet, & curas hominum deridet manes.
Felix, at nimium Muſarum doctus alummus,
Quem dulci Charites gremio, quem pulcher Apollo
Confouet, externis animum ſubmittere curis,
Non amat, at Sophiæ penetralia cuncta ſubire
Optat, Pierio ſolum contentus honore.
Scilicet in primis cui dulcis gloria curæ,
Occubat & uigili fortis ſub pectore uirtus,
Artibus ingenuis ſibi iuſtos quærit honores:
Hos inter merita, præſul, te laude locabo.
Seu licet ingenij uires, ſeu munera ſpectem
Fortunæ, ſummum tibi conceſſere fauorem
Pierides, alto poſuere & culmine rerum.
At tua quid tenui præconia dicere uerſu

Aggredior? pietas uincit, uincit tua uirtus
ingenij languentis opes, prius æquore uiuet
Vrſus, & in caua piſcis ſodet arbore mella
Quam tangam laudum faſtigia ſumma tuarum,
Siue tot ingenij dotes, linguæq; potentis
Et decus, & dignum immortali laude leporem,
Vt taceam teneros ceu primum duxeris annos,
AEquales inter cœtus, turbamq; diſertam,
Promptior ingenio cunctis, non inuidus ulli,
Cum tua fortuna nil ſubducente uigebant,
Mox ſacras leges, & protectura uerendos
Reges, & ſortem ſtudia auerſura malignam.
Poſt ubi creuerunt ſenſus, ubi creuit & ætas,
Non medicina tibi, quamuis pulcherrima ſcitu
Non actu iucunda tamen, placuitue proteruæ
Vis logicæ, argutas uoces, & iurgia nectens;
At tua ſydereo iam dudum dedita cælo,
Neſcio, quid magni mens ſpirans, cernere uerum,
De falſo libuit, fontemq; agnoſcere iuris:
Qualiter humanis, quiuis ſine crimine rebus
Contractus nectat uarios, ſeruetq; decorum,
Nec fraudare bonos, nec ui defendere prauos.
Inclyta ſacrarum ſalue concordia legum,
Iuſticiæ tutrix, Hominumq;, Deumq; uoluptas,



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Terrarum, cæliq; decus, ſpes unica uitæ
Mortalis, ſine te nam ſecula priſca redibunt,
Anguigenumq; ætas, atq; inuidioſa Gygantum
Tempora, ueſanæ creſcent & tempora phlegræ:
Indomitos homines, tu crimina ſola coërces,
AEqualiq; hominum ſeruas conſortia lance.
Hanc ſacer Antiſtes ſtudijs ingentibus artem
Diſcere cura fuit, ſolum tu niteris illud
Ius redeat miſeris, uexet ſua pœna nocentes.

Perpetuum ſaluë, ſaluë multum inclyte præſul
Ingenij dotes, dulcis qui munera linguæ,
In clarum conuertis opus, legeſq; uerendas,
Iuſtitiamq; ſacram defendis, & eripis aſtu,
Et ſeruas inopes, dubij quos Iudicis urna
Deprimit, & crebro noxis ingentibus urget.
Vos ego terrenos conſtantia pectora Diuos,
Iuſtitiæ fratres, diuini iuris alumnos,
Qui uerum colitis, iuſta qui lege nocentes
Plectitis, a ſacra qui nuſquam cedere norma,
Nec donis, odioue graui, nec morte poteſtis,
Vos qua promerita tollam ſuper æthera laude?
Maiores poſcunt exilia carmina uires,
Vos ſi perpetua tollam per ſecula fama.

Teq́; uel ante alios Iuris uenerabile numen,
Papiniane meis celebrabo candide Muſis:
Antonine tuum non ullo deſinet æuo,
Ac ſcelus excepto memorabunt fine Nepotes,
Quod Iuris ſacrum mulctaſti morte patronum,
Excuſare tui conſtanti pectore cædem
Cum fratris nollet: melior diuine Seuere,
Qui medias inter turbas, aciemq; ferocem
Veſte tegis propria iuris decus Vlpianum.
Sunt quoq́; mille alij, toto qui nomen in orbe,
Viribus aßiduis, doctaq; indagene mentis,
Dum legum excutiunt ænigmata, & acria ſoluunt
Iurgia, perpetua meruerunt nobile fama.
Vos quoq; qui celſas aulas, Regeſq; ſecuti,
Conſulitis recté, quorum Reſpub: felix
Conſilijs, toto lites exterminat orbe,
Et iuris, paciſq; ſacras exuſcitas artes,
Quo referam merito per ſecla perhennia uerſu?
Vobis conſilium ſi cæca negauit Erynnis,
Mox fera Theſiphone ferales concutit alas,
Inflammatq; Duces magnos, Regeſq; potentes:
Ardet humus bellis, bellis deflagrat & æquor,
Vndiq; per gentes diſcordia pullulat atrox,
Aßiduēq; nouas clades, caſuſq; recentes

Nunc

Nuntiat, & dubios geminat uaga fama timores.
Sin uero monitis Regum felicibus aures
Impletis, rectiq́; uiam ſeruatis & æqui,
Tum ferus armiſona quæ ſtrauit grandine Mauors
Surgunt, & placidis habitat pax aurea terris.
Quis neget hos ſacras diducere ab æthere mentes,
Dijſq; uiros genitos, uos o uos lumina mundi,
Quæ concuſſa iacet, miſeris laceratáq; bellis,
Qua dudum caruit, patriæ concedite pacem:
Conſulite in medium, noſtro mala nubila cælo,
Et quæ nos grauius fortuna gemiſcere cogit,
Iupiter excutiat, uos gloria digna ſequetur,
Et uehet æterne decus indelebile famæ.
Ipſe ſed e numero, præſul uigilantior ipſo,
Ceu ſydus prægrande micas, O Dania felix
Conſilijs & tuta tuis, ſublime potentis,
Te penes Imperij decus, & conſtantia legum,
Et pietatis amor, non hoc placidiſsimi e Regum
Ipſe negas, meritoq; illum ueneraris honore.
Nam quod ſi priſcis ſapientia pectora ſeclis
Conſilio ualuere graui, ſi rexit Athenas
Diuinus Solon, fortеſq; Macedonas apto
Eloquio Iſocrates, multis prudentia regnis,
Si patrocinium, mitis ſi tempora pacis

Præſtit

Præſtitit, haud ullis præſul uenerande Secundus
Inueniere, lubet rectum, uerumq́; fateri,
Quantum Daniaco tua magna induſtria regno,
Profuit, ingenti quando decus omne labore
Excutis, & priſcos regni metiris honores.
Conſilium, Regiſq́; comes, ſociuſq́; laborum,
Quem penes inſontis columen, culpaq́; uacantis,
Et delinquentis cenſura, animiq́; uigentis
In membra imperium, non exorabile pectus,
Si uitium uideas, quod non ſua pœna ſequatur,
Tu facis iniuſtis ne cedat uiribus æquum,
Neue quis inuidiam propter, fraudemq́; malignam
Inbellem uexare queat, opulentia triſtem
Pauperiemue premat, tu partes cautus in omnes,
Dirigis ingenij uires, iuſtumq́; tueris.
Grate Dijs præſul, non te Sors improba talem,
Sed grandes curæ, magnarum & pondera rerum,
Dumq́; caues regno, magni finxere labores.
Et uirtus grauitate potens, mentiſq́; ſagacis
Conſilium, nullo reuerentia mixtaq́; fuco,
Aſt ultro delatus honos, animiq́; ſeueri
Inditum, uarias fortunæ frangere uires,
Et frenare malos potuit, ne tetra libido,
Aut fera ſeditio regalibus inuida ſceptris,

Con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Concordes regni proceres, Sanctumq́; Senatum,
Auſit & immani pacem conuellere niſu.
O decus o inter cunctas celeberrima terras,
Quodquot ad algentem ſors dura coërcuit Arcton,
Figit ubi bifido Nereus ueſtigia ponto,
Horridus & Boreas pluuiali obmurmurat Auſtro,
Cultrix ſaluifici ſalue pia Dania Chriſti.
Dij tibi (nil etenim maius meliuſq; precandum)
AEternam tribuant pacem, paciſq; miniſtros.
Inclyte Rex, Regum noſtroq́; pijßime ſeclo,
Cui paret placidis illuſtris Dania ſceptris,
Sic uirtute tua, ſic iuſta laude mereris.
Tu uero Præſul, tanti decora inclyta Regni,
Conſilio ſeruas, acri uirtute tueris.
Namq; quid argutæ tua non induſtria mentis,
Ingenijq́; labor poſſet, multumq́; probatus
Candor, & in grauibus prudentia cognita rebus.
Plurima ſuccinctis qui claudis pondera uerbis,
Eloquio, fandiq́; opibus ſublimis, abundans,
Et ſi materies, & rerum flagitat ordo,
Sermonis ſpatiantis opus, te nulla morantur
Verba, ſed optato cedunt opulenta nitore,
Atq; periclæum uincunt grauitate leporem.
Sin autem tenui uoces comprehendere giro,

Sin autem tenui uoces conprehendere giro,
Et linguam frenare lubet, nec diuite fluxu
Verborum, potius ſed mentis acumine gaudes,
Omnia ſub mira cautē breuitate recenſes,
Nec uis argutis, nec deſunt pondera dictis,
Atq; Lâertiaden, quamuis promptißimus ore
Callidus ingenio ſuperas, nec gratia frontis
Mitis abeſt, inopem nec dira ſuperbia terret.
Nec male conceſſum leuis indulgentia frenum,
Diuitibuſue nefas laxat, ſed cuncta decenter
Diſtribuis, uitiumq; domas, rectißima ſuades.
Stat bene pacati mitis concordia ſceptri,
Talis ubi Conſultor adeſt, ter maxima felix
Dania, quæ tantis flores celeberrima donis,
Et tantis decorata uiris, quæ maxima regni
Conſilia, & ſumma uirtute negotia tractant.
Nam tibi quid comitem, Præſul, ſociumq; laborum,
Bernhardum meritis Phriſium uirtutibus addam?
Aonio, Phriſium, dudum quem Pallas in antro
Fouit, & ingenij uires, artemq; loquendi,
Contulit, & iußit ſacras ediſcere leges.
Iamq; decus patriæ iactat, decoratq; decenti
Fama, Daniaci penes & quem gloria regni
Alta manet, uos o noſtri duo lumina Secli,



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Tempus erit, quando merita ſuper æthera fama
Laudibus & iuſto uirtutum nomine tollam.
Iam ſacer Antiſtes gratis te ferre camænis
Nitimur, atq; nouo ſubſcribimus omen honori,
Omen, quod tripodas Phæbi, lauruſq; loquaces,
Vincet, & è ſummo Deus affirmabit olympo:
Te fore concuſſum qui relligionis honorem,
Inſtaures meritis, & pura mente reſcindas
Omne neſas, pietas, ſpondet ſic inclyta uirtus,
Et ueri non falſus amor, fideiq; cadentis
Candor, & unigeno dudum mens dedita Chriſto.
Ergo age, cum tanto te uirtus auxit honore,
Principis & titulos, & claræ nomina famæ,
Atq; Magiſtratus munus conceßit, & amplum
Præſulis officium, tenui quo condita Luba,
Vrbs opibus, belloq; potens ſe iactat, & inter
Terrarum dominos proprio te Præſule gaudet:
Exige quas dudum pœnas meruere nocentes,
Et pacem concede pijs, uerumq; profeßis,
Ac ego uaticinor, & ſuſpicor eſſe futurum,
Priſca fides, pietas, uirtus, concordia, ſalui
Iuris honos, ſacrûm generoſa modeſtia morum,
Te, (citius ueniat tempus) regnante redibunt;
Tu modo quem uirtus proprijs ſic extulit auſis,

Et

Et præ mille alijs iuſto decorauit honore,
Reſpice diuini quantum reuerentia cultus
Marceat, & quantis iaceat ſubiecta procellis,
Seruatrix animæ, cœleſtis ianua uitæ,
Et decus humani concors Eccleſia cætus.
Vos penes e ſummo uoluit quos Rector olympo
Cuſtodes gregis eſſe ſui, tam magna poteſtas,
Vobis, ſublimi quos conditione locauit,
Muneris id tribuit, uos iuſſa capeſſere fas eſt,
At tu Neſtoreos uiuas modo fortiter annos,
Quæ poteris facies, & quæ mala cunq; ſuperſunt,
Tollere conſilio, & docta conabere mente,
Officijq; tui cum laude tuebere partes.
Nam (neq; tam cupidam fallent præſagia mentem)
Summus in illuſtri Deus hac te ſede locauit,
Vt modo quæ miſeris Germania diſsidet armis,
Conſilijs pacata tuis, funeſta relinquat
Bella, ſed in mitem coêat placidiſsima pacem.
Et tua diſcordes mitis facundia motus
Molliat, atq; procul noſtro depellat ab orbe.
At uos Semidei terrarum lumina Reges,
Quos decus Europæ penes, & ueneranda poteſtas
Imperij. Vobis dum bella domeſtica cordi,
Alter in Alterius dum uiſcera ſæuit, & auget

Publica

Publica concuſſæ diſpendia triſtia pacis,
Dum patrios turbatis agros, roburq; iuuentæ
Perditis, & populos, magnas dum uertitis Vrbes,
Interea ueſtris peſtis Mohometica regnis
Imminet, o iuſto quis ueſtra mouere dolore
Corda poteſt? quantas hæc edidit undiq; ſtrages,
Chriſticolam populata gregem, ſanctumq; cruorem
Hauſit, & in noſtrum (dolor o meminiſſe) quotannis
Militat exitium, tandem quis torpor inertes
Impediet? Sæuum quando tendetis in hoſtem
Vnanimes? quando ciuilia bella peroſi,
Caſtra ſub infeſtum metuenda locabitis Iſtrum?
Laturi Schytico meritos ex orbe triumphos.
Quod ſi Cadmæo ciuili ſanguine more,
Perdetis uires patrias, ſed obominor illud,
Opprimet incautos, Schytico captiuus & Iſtro,
Perditus heu proprio lugebit crimine Rhenus.
Ille ferox nimium, nimium metuendus & hoſtis
Heu quas Chriſticolis terras, quas abſtulit urbes,
Haſta Pelethronijs quem non conſumpſit ab oris,
Et (ſcelus) aſſiduè quem non ſitit illa cruorem?
Imperij quando fines, cultuſq; nephandos,
Qua uenit, & rutili recidit lux aurea Phœbi,
Extendiſſe ſtudet, cultos iamq; occupat agros

Phœnicum, pinguemq́; Thabor, & amena profundæ
Iugera Dalmatiæ, ſed te quid nobile plorem
Byzantum, cultamq́; Rhodon, & dulcis Epiri
Littora: Sed quantis Septemplicis oſtia Nili,
Cædibus implerit? quas & uaſtauerit urbes,
Thracibus Oeoliam dum uictis abſtulit Hellen,
Horrent innocuæ cædis meminiſſe Camænæ.
At uelut Iſtricolis, & noſtris ingruat oris,
Et quas Auſtriacis prædas expoſcat ab agris.
Eheu proſtrati nimium ſenſere coloni:
Euerſoſq; lares aliquis, ſic ſata tulerunt,
Et charæ raptos genetricis ab ubere natos,
Infixoſq; palo, nimium res horrida uiſu,
Triſtis & iniugulum nudatos conſpicit enſes:
Templáq; diuelli, ueſtris decorata triumphis,
Atq; prophanatas flammis conſumier aras.
Vos o Semidei non hæc incommoda Reges,
Et clades miſeranda mouet? num Caſpia Tygris
Vos genuit? duris aut eſtis montibus orti?
Non ea Germanæ feritas duriſsima quondam
Gentis erat, ſcelus hoc, & clades ulta fuiſset
Impie turca tuas, o quando priſca redibunt
Tempora? natiuo quando florebit honore;
Victa peregrinis nunquam Germania ſignis.

Nunc

Nunc o degeneres Mahumeticus obruet hoſtis,
Exitioq; dabit cultæ Germanidos oræ,
Regna, urbes, populos, longum per ſecula Crimen.
Iam quoq; quid læuo triſtantem lumine cælum,
Candentemq; procul magnum per inane Cometen, Cometes
Vaticiner ſignare mali? quibus ingruet oris? uiſus Año
Quas urbes, populoſue premet, quibus ille ſupremum M. D. LVI.
Regibus exitium triſti molimine prodet?
Nec dubium (ſua nam ſeruat præſagia cælum,
Et nunquam fruſtra criniti Syderis ignes,
Infeſto fulſere polo) quin plurima ſecum
Damna trahet, peſteſq; graues, æſtuſq; nocentes,
Diſcordeſq; iras Regum, uireſq; ſiniſtri
Conſilij, quas non rectæ præſtantia mentis,
Sed fera ſuadebit mixta uiolentia fraude.
Præcipue, quando cæli ſub parte maligni,
Anguis ubi geminas ſinuoſus ſeparat Arctos,
Pendentemq; tenet truculentus ſcorpio Libram,
Emicuit primum, totoq; uagatus olympo,
Infeſtos gelidum radios extendit ad Auſtrum.
Incertum quid fata parant: num dirus ab iſtis
Exitium in noſtrum ueniet de finibus hoſtis?
Atq; Licaoniæ quæ ſubdita uirginis Arcto,
Regna iacent, triſti populabitur undiq; cæde.

Ergo agite o rerum quibus eſt commiſſa poteſtas,
Tempus adeſt (moneo) mitem componite pacem,
Et licitis armis immanem excindite gentem.
Poſt hac ciuiles reſonet nec buccina motus,
Ante fores hoſtis gladijs, exultat & haſtis,
Quem uos unanimes, (& erunt rata carmina uatum;
Quæ uobis Schyticos, quicunq; ſit ille, triumphos
Promittunt) patrium rurſum cogetis ad Iſtrum,
Exutum regnis, & fracto Marte reuerti.

At mea quo patriæ diducta cupidine laudis
Labitur? & iuſto uires dat Muſa dolori,
Non mihi ſi Aoniæ decima cum Pallade Diuæ,
Siue daret centum uoces non durus Apollo,
Tot clades noſtro quas gens hæc intulit orbi,
Et ſcelus, & roſeas cædes, rituſq; nephandos,
Enumerare queam, cæpti nec carminis ordo,
Iſte fuit, magno tibi ſed deuotus amore,
Noſter amor, ſacri decus ordinis, inclyte Præſul,
Carmina iam tenui tibi noſtra litauit acerra:
Tempus erit tibi me quando clementia iunxit,
Et non elatæ ueneranda modeſtia frontis,
Plenius ut cunctas, ualeat ſi copia, laudes,
Quarum pars ignota mihi, uitæq; tenorem
Integrum, gratis auſim depromere Muſis.

Inter

Interea, quoniam tenues non deſpicit aras
Iupiter, & niueos inter ſacra debita tauros,
Ceſpes, & exiguo præbentur farra Salino,
Accipe iucunda pepigi quæ carmina mente,
Quidue petunt querulæ ne quaquam temne Camenæ.
Nitere conſilijs, & dulcis munere linguæ,
(Namq́; utrumq́; potes, tibi nec fœlicior alter)
Ne fera Chriſticolam perdat diſcordia gentem,
Exitiumq; ferat diro ueſania ferro.
Et te, nec graue ſit, quantumuis omnia noſti,
Pluraq́; uidiſti, tantum concede moneri,
Has ſuperum pœnas, tot triſtes orbe tumultus,
Feraleſq; iras, diſiunctaq́; pectora Regum,
Et genus omne mali, noſtro quis concitet æuo?
Hic mea quam pleno ſe panderet ægra dolore
Pieris, heu quantum luctus, quantumq́; malorum
Inſpiceret, querulo finemq; miſerrima fletu,
Non poſitura, graui ſuccumberet hauſta procella.
Nam uitio quamuis nemo uacet, ægraq́; tandem
Ad finem properet ruituri machina mundi,
Hos tamen ante alios, quos Relligionis honorem,
Et decus æternum pacis, moreſq; pudicos,
Integris uitæ meritis, & pectore caſto,
Adſeruiſſe decet, diuerſo turbine pelli,



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Et certare uides odijs, & crimine aperto.
Pars horum argutis perplexa ænigmata uerbis,
Plurima monſtroſo pariunt & ſchiſmata ſenſu,
Diſsidijſq; crebris tranquillæ tempora pacis
Perturbant, ſtultumq́; mouent in prælia uulgus.
Pars etiam, quid enim non tetra licentia tentat?
Ac infrenatæ leuis petulantia uitæ,
Enormes inter luxus, ueneresq; pudendas,
Conceſsas conſumit opes, & ſacra prophanis
Miſcet, & alternis agitat conuiuia cœnis,
Interea languet pietas, & dormit honeſtas,
Spretaq́; conqueritur uirtus: o pectora nigro
Digna Erebro, ſacrum ſic Relligionis honorem
Sic colitis ſummus uobis quæ plurima Paſtor
Officia attribuit, lacerum ſic iuſsit ouile
Paſcere? & exemplis reliquis præire probatis.
Et piget, & uerum nollem, ſed uidimus ipſi
Plurima, non uobis ita digna, nec apta modeſtis
Moribus, & ueſtræ non conuenientia legi.
Dumq; ita uentoſo ſubmittitis omnia uentri,
Et malę diuinis humana negotia rebus
Officij immemores miſcetis, & atria ſæuis
Iurgia diſsidijs, & diro nectitis æſtro,
Rumpitur interea uarijs Eccleſia monſtris.

Et uaga diuinos plebs inficiatur honores,
Et Reges in bella ruunt, cadit altus ab imo,
Relligionis honos apice, & reuerentia legum,
Nutat, & armiſono regnat uis impia ferro.
Vnica ſed querulæ Præſul fiducia Muſæ,
Dum licet auxilium miſeris his ſubijce rebus,
Et motus compeſce graues, arteſq; doloſas
Quæ Reges animare truces, odiumq; mouere,
Et rabiem ſtultæ poſſunt accendere plebis.
Quod tua ſi magnis potuit prudentia regnis,
Et pacis, ſeruare decus, legeſq; referre,
Quas fraus et dudum non æqua potentia preßit:
Si tua diuine potuit uis ardua mentis,
Tot rerum cauſas acri conprehendere ſenſu,
Acriter, & quicquid potuit prodeſſe, tueri:
Hic age uel cunctas te non impendere uires,
Pœniteat, Chriſti placida Reſpub. pace,
Seditione procul pulſa, belloq; quieſcat.
Per te ſi qua quies, & noſtro mitior orbi
Pax ueniet, ponetq; graues Germania motus,
Et tua ſi ſpurcos excelſa modeſtia mores,
Ingluuiemq; horum, qui ſe de gente Prophana,
Diuiſos meritis, & uano murmure iactant,
Infringet, normamq; ſequi, uitamq; profeßam



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

*Et ſacri coget decus ordinis obſeruare,*
*Dii tibi quæ meritæ condam præconia famæ,*
*Et ſi fors aliquo ſe priſcis extulit annis,*
*Præſule, diuitijs animoſa, potentior armis,*
*Vndiq; quæ geminis Vrbs circumuoluitur undis,*
*Hos inter, ueluti roſeis Tritonia bigis,*
*Cum ſurgit, terraſq; nouo ſplendore ſalutans*
*Obuelat reliquas rutilanti lumine ſtellas,*
*Fulgebis meritis, omniq; ſuperſtes in æuo,*
*Carmine Theſpiacis ritè celebrabere Muſis.*

## *Breuis omnium Epiſcoporum Cathedralis Eccleſiæ Lubecenſis Catalogus.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

QVis ſuperum cultor, qui priſcis autor in annis,
Vandalicas ſtruxit ſublimia templa per urbes,
Præcipuè ſenior quo ſe placidiſsimus infert,
Prætcrit & lento Trauus Vachneſida curſu:
Atq; olim clades, & quales paſſa tumultus
Relligio, quibus & noſtrum ſeruata ſub æuum
Præſulibus, tandem cœlo caput intulit alto:
Vos duo florentem quæ flumina cingitis urbem,
Non pigeat mecum tenui deuoluere uerſu.
Vrbs antiqua fuit VVagrijs notiſſima terris,
Vandalici coluere uiri, nunc Martia tellus,
Holſatis paret (ſors omnia mutat) habenis:
Hæc genus & ueteri nomen diduxit ab arce,
Indigenis populoſa ſuis, ditiſsima rerum,
Felix ah nimium felix ſi Vandala tellus,
Nunquam ſaluifici ſpreuiſset dogmata Chriſti,
Illa furens odijs, & ſurdis dedita Diuis,
Chriſticolas euertit opes, cultuſq; ſacrorum,
Vaſtauitq; feris innoxia mœnia flammis.
Iamq; tot ærumnas uetus arx & paſſa dolores,
Concidit extremum laceratis undiq; muris:
Vandalus & uicta dirus dominatur in urbe,
Et cultos proſtrauit agros, redituſq; piorum
Vſibus applicuit ſcelerata mente prophanis.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

*Pellitur eſuriens Chriſti comes, undiq; luctus.*
*Vndiq; per ſyluas, & deuia luſtra uagantes*
*Ire ſacerdotes uideas, ſortemq; malignam,*
*Ingemere extenſis ad lucida Sydera palmis.*
*At iam magnanimæ ſplendeutia tecta Lubecæ,*
*Alterno mutata loco, ſub Sydera turres*
*Eq; loco tenui nitidum traxere colorem,*
*Cum ſubito præſtans florentis conditor urbis,*
*Chriſtiadum miſeratus opem, triſteſq; querelas,*
*Otia concuſſæ reparauit idonea turbæ.*
*Et iam mille Deus, centumq; peregerat annos,*
*Tres tamen adde decem luſtris, quo lapſus olympo,*
*Plurima mortalis deleuit crimina noxæ:*
*Tempore quo VVagrias ſedes Antiſtitis oras*
*Deſeruit, fatis cultam deducta Lubecam.*
*Vos o Diuinæ qui Relligionis honorem*
*Adſeritis, ſummo qui pectora celſa tonanti,*
*Et mundana pijs ſubmittitis otia curis,*
*Heroas claros merito quo carmine tollam?*
*Præcipuè te magne Leo, tua maxima uirtus*
*Cæpit arenoſa ueſtigia ponere terra*
*Templi, ſydereas quod uertice ſurgit in auras.*
*Et ſacras ſuſtentat opes, tibi Diue ſacratum*
*Ioannes, Chriſti ante alios gratiſſ. uates.*

Eccleſia Cathedra- lis Lubecē. ab Henrico Leone con- dita Anno M.CLXIII.

Te

Te quoq; perpetue tua fama ſequetur Adolphe
Holſatici Dux magne Soli, tu ſumptibus auges,
Hoc templum, redituſq; graues, & prædia turbæ
Chriſticolæ tribuis, quæq; arx Oithyna paternos
Auxit agros, templo certo tum fœdere ceßit.
Quin etiam plures fundos, agroſq; uirentes,
Quos Trauus uitreis paßim circumuolat undis,
Ipſe dabas ſacræ Chriſti præconia genti
Quæ caneret, templiq; nouos tueretur honores.
Tu quoq; diuitijs, Frederice potentior armis, Fredericus II. Roma. Cæſar.
Hanc urbem Chriſtiq; ſacrum defendis ouile.
Felices nimium priſco qui tempore Reges,
Erexere ſuis diuinas ſumptibus aras,
Et fouere uiros templorum ſacra colentes
Pro quibus alta tenent iam ſummi gaudia cœli,
Nos o deſtruimus magno confecta labore,
Mœnia, templa, domos, ſacraſq; incendimus aras,
Rumpimus & doctis ſolatia debita Muſis,
Spernimus et ſacros quicunq; tuentur honores,
Pro quibus alta premet Stygiæ nos unda paludis:
Iamq; graues uetito dabimus pro crimine pœnas.
Nunc adeo ſuperum primus qui Præſul honores,
Immenſo ſtudio noſtris prouexit in oris,
Addixitq; ſuum Diuis decus: obrutus æuo,

Hi

Geroldus Primus Epiſcopus Lubecēſis I

Hic Geroldus erat, cœleſti plenus amore,
Tradita qui ſacri diſpergens ſemina uerbi,
Plurima iucundæ ſubijt diſcrimina uitæ,
Dum populos formare rudes, Chriſtoq́; rebellem,
Nititur in cælum uerbis traducere gentem.
Quin etiam ſocijs, ne triſtis turbet egeſtas
Religionis iter, proprio ſua premia ſumptu
Reddidit, & ſacros ut tutaretur honores,
Conceſſas diſperſit opes, auxitq́; uerendi
Collegij cætus, terrenis libera curis
Mens, laudem, pretiumq́; polo niſi cepit ab alto.
Bis ſex inde uiros magna pietate uerendos,
Quoſq; incorruptæ laus uexit idonea uitæ,
Eligit, his reditus largos, alimentaq́; iuſta
Præſtitit, & iuſsit ſacras ediſcere leges:
Atq; his eximium quendam, fideiq; tenacem
Præpoſuit, patrijs Athelo fidiſs: oris
Hic fuit, hos inter primos qui cæpit honores.
Sic ubi conſtituit diuino ſingula nutu,
Præſul, ſaluificæ pietatis idoneus autor,
Alta, laboriferis curis, confectus & annis,
Regna petens, longas ducebat in agmine turbas
Saluatorum animas, eius qui dogma ſecuti,
Vna ſyderium meruerunt ſcandere cœlum:

Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Hic ubi nunc hominum ſordes, & inertia noſtri
Tempora conqueritur ſecli, Chriſtumq; precatur
Ne premat ex merito mortalis crimina noxæ,
Et pia ſubducat ſceleratis pectora terris.
Conradus ſubit huic, quamuis præſtantior unus
Attamen heu odijs Præſes tentatus iniquis,
Ille ſed excelſi tutus uirtute Leonis,
Inuidiam ſuperat triſtem, ſummaq; locatus
Sede, tulit meritos tulerat quos frater honores:
Poſtremo ſolymas tecum Leo tendit ad oras,
Hic ſacer Antiſtes fatis exemptus acerbis,
Exul in ignota dormit tumulatus arena:
Incolumis patrias Leo ſed tranſuectus ad urbes,
Strenuus hanc alio decorauit præſide ſedem,
Hic Hinricus erat claris uirtutibus Abbas;
Diuus ubi Egidius ſacras ſibi uendicat ædes,
Vrbs qua Brunonis multis decorata triumphis,
Saxonicæ floret meritiſsima gloria terræ:
Hic prope labentes primum Vachneſidos undas,
Diue tibi templum tribuit qui gratia nomen
Condidit, & Monachis dedit hoc habitare proteruis,
Qui benedicte tuo ſe dictos nomine iactant.
Attamen (o facinus) manſura haud ſedibus iſtis
Raſa cohors, alias quæſiuit pulſa latebras,

Cunradus Epiſcopus I

Henricus Abbas ad Diuum Egidium Brunſuigæ Epiſcopus III.

Et ſi

Ceßit & hæc ſacris ueſtalibus inclyta ſedes,
Cunradus Epiſcopus IIII. Hinc ubi Cunradus, Frederico Cæſare fretus,
Eligitur, Præſul, ſæuos Holſatia motus
Excitat, electo iuſtoſq; inuidit honores,
Ille dolos uitans alias ſeceßit in oras,
Hic qua Brema ſuo dudum ſe præſule tollit.
Nec mora, deceßit præſul quo factus in anno,
Ereptumq́; ſibi fatis relliquit ouile.
Mox ubi ſtant ſacræ Segebergi Mœnia ſedis
Præpoſitus reliquis, eius doctiß: æui,
Teodorus Prepoſitus Segebergæ Epiſcopus V. Et clarus Theodorus erat: quem maxime Cæſar,
Euehis & titulo uenerandi Antiſtitis auges:
Hoc certe melior, nec dignior alter honore
Extitit, hic uitæ præcepta probata modeſtæ
Edidit: o noſtris ubi nunc mos ille ſub annis:
Ille ſul iuit opus uenerandi præſulis, ille
Voce ſua ſacri prompſit myſteria uerbi,
Atq; rudes populos, & inertia pectora rexit.
Huic Sextus ſubijt: ſed non præconia præſul
Bartoldus Epiſcopus VI. Bartoldus pietatis habet, ſed ſummptibus ædes
Condidit immenſis, miroq́; intentus amore
Structuræ aperet ſummos Eccleſia cultus,
Interea iacuit pietas, & ſpreta uerendi,
Cura miniſterij ſolitos amiſit honores.

Ora

Ordine proſequitur Ioannes, ante Decanus
Sedis, hic in multis hoc rexit ouile periclis:
Tempore quo gelidas liquit Vachneſidos undas
Ciſmariamq; leuis Monachorum turba profecta eſt,
Qui Benedictinos ſimulato pectore mores,
Deq; pio falſos retulerunt nomine ritus:
Præſidis hinc Sedes (lectos diſcordia Fatres
Mouit, & intriſtes coniecit pectora curas)
Sex annis ſine legitimo Cuſtode uacauit;
Donec in extremis pietas excepta periclis,
Et fidei candor, & uirtus Cæſare digna,
Errantes reſpexit oues, & Præſule rurſus
Auxit: Ioannes fratrum de gente Minorum,
Hic Brabantiacis duxit natalia terris,
Quem ſacer a Tralou ſequitur cognomine Præſul,
Fortis Ioannes, ſtructo noua gloria templo,
Qui primum renouans ſtudijs ingentibus arcem
Mœnia depreßæ collapſa erexit Othine:
Præſulibuſq; pijs, quos poſtera proferat ætas,
Hic ſedem, grate conceßit & otia pacis
Iam quibus & læti ſe iactant. Subditur illi
Burchardus gelidæ Vachneſidos accola ripæ,
Huic infeſtus erat, ſed forti ſingula mente
Pertulit, & magnas eius præſtantia uires,

Ioannes Decanus Collegij Epiſcopus VII.

Ioannes Minorum FRATER Epiſcopus VIII.

Ioannes a Tralou Epiſcopus IX.

Burchardus a Serken Epiſcopus X.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Vrbis & ingentes domuit conſtantia motus:
Tum quando fortes rupit diſcordia ciues,
Stridenteſq; molas, pulchro quas Nympha rotatu
Vachneſis uoluit, ſacris auellere templis
Incipiunt, Clerumq; ſuo depellere iure:
Non tulit hoc audax Præſul, ſed fulmine diro
Proſcripſit ciues, & formidanda minatus,
Numinis arma ſui, nihil hi minitantia curant
Verba, ſed inceptis porro uigilantius inſtant,
Præſulis atq; omnis depellitur urbe ſatelles,
Adſeruitq; molas urbs inclyta. Canus ab æuo,
Burchardus moritur: Cui pace inſignis & acri
Conſilio Præſul ſucceſsit, & otia felix
Henricus a Bocholt Epiſcopus XI. Præſtitit Henricus ſocijs, & iurgia plebis
Mollijt, exortos & depulit urbe tumultus:
Ille Boholtorum duxit ſua ſtemmata gente,
Integer, & multis Præſes uirtutibus auctus
Impatienſq; doli. Tenuit cui nomen ab ore
Ioannes Muel Epiſcopus XII. Præſes Iohannes ſubijt, qui condidit ædes
Atq; labori feras eduxit ad æthera turres,
Tum, quando Stygio peſtis progreſſa profundo
Sæuit in humanam crudeli funere ſtirpem,
Atq; prius Titan quam bis ſua lumina condit,
Mille & quingentos homines mors intulit orco:

Quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Quæ niſi per populos peſtis graßata fuißet,
Mœnia nauigeræ ſtarent maiora Lubecæ,
Inceptum mors rupit opus: quoq; lumine ſunctus
Præſul Ioannes fuerat: Bertramus ouile
Hui Cremon rexit, ualidis hic integer annis,
Conſilioq; uafer, rebuſq; intentus habendis,
Collegio reditus, maioraq; predia iunxit
Et cumulauit opes: rigidis dum curia flammis
Concidit, & triſtes urbs belli paſſa tumultus,
In Danicos irrupit agros, cæſuſq; ſecuri,
Rector Ioannes urbis Viteburgus, amatam
Lucem cum ſceptris inameno morte reliquit.
Præſulis hinc Monachus claros Nicolaus honores
Reſpuit, ut famæ, regniq; cupidine captus,
Totius Imperium demens ſibi poſceret urbis,
Heu leuis ambitio, perfuſaq; gloria faſtu,
Raſorum fratrum, tantum proh fraudis iniquæ,
Veſte pia tegitur, tantum ſub ſimplice cultu,
Turpis auarities, & dira ſuperbia regnat.
At pius á Giſemheim Cunradus nomine, ſacrum
Non contempſit opus, miſerum ſed lætus ouile,
Quod Monachus ſpreuit, tranquillo tempore rexit.
Cæſaris hic aulam clara uirtute ſecutus,
Imperij defendit onus, rebuſq; gerendis

Bertramus Cremon Epiſcopus XIII

Nicolaus Prædicatorũ Monarchus Epiſcopus XIIII.

Cũradus a Giſcheim Imperatoris Caroli Secretarius Epiſcopus XV.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Ioannes Kleneſtedt Epiſcopus XVI.

Ioannes ab Attendorn Epiſcopus XVII.

*Aptus, & eloquij fœcundo munere felix,*
*Eximias meruit laudes: Quo lectus in anno*
*Ioannes Kleneſtedt, uitam, officiumq; reliquit*
*Præſidis, huic uitæ, præſentis lucis & ortum*
*Clara Lubeca tulit. Generoſus & optimus auctor*
*Religionis Ioannes, cui patria nomen*
*Nobilitas inſigne dedit, præclaraq́; fortis*
*Attehndorniacæ iunxit natalia gentis,*
*Præſulis hinc celſum ſeuexit in æthera nomen:*
*Vtilis hic ſocijs, & ſacræ plurima ſedi*
*Commoda diuitijs & ſenſu præſtitit acri,*
*Et ſacras euexit opes: Cum celſa Lubeca*
*Pene per inſidias et proditione nefanda,*
*Capta, nimis triſtes crudeli funere clades*
*Senſiſset, patribuſq; ſuis, et ciuibus orba,*
*Triſtia depreſsi doluiſset uincula colli,*
*At ſors, & ſtructas ſuperum clementia fraudes*
*Texit, & exitium generoſæ depulit urbis,*
*Afflixitq; rota ſontes. Quo tempore triſtis,*
*Clauſit hyems æquor ualido tam frigore, iunctis*
*Curribus ut Danicas Vachneſidos accola ripas,*
*Viſeret, atq́; uiam duris daret algida plauſtris*
*Vnda, ſacras ſuſcepit opes uenerabile Iuris*
*Numen Ioannes a Dulmen, diraq́; plebis*

Diſsi-

Dißidia, & pulſum defleuit ab urbe Senatum
Dißuaſitq́; nefas, octo ſed triſtior annis,
Vrbs Dominis caruit, traxitq́; in iurgia plebem
Eumenis & ſacras ſuaſit conuellere leges:
Magna, Sigiſmundi donec prudentia Regis
Reſtituit Dominos urbis, motuſq́; frementis
Plebis, & inſanas dictis compeſcuit iras,
Arſit ut in felix triſti Germania motu,
Vidit et inſignes præſtans Conſtantia cætus
Imperij, rixas ſedaturoſq́; tumultus,
Doctrinæq́; genus, magna quod uoce probabas
Huſſe miſer flammis uix exaturantibus eſca;
Venerat huc etiam clara comitatus ab urbe,
Præſes Ioannes dictus cognomine Schelus.
Ille Sigiſmundi ſectatus Cæſaris aulam
Conſilia in magnis ſuggeßit idonea rebus,
Omnia ſecretæ ſolitus committere pennæ,
Imperium quæcunq́; egit, quæcunq́; probauit,
Præſulis idcirco præclaro elatus honore
Iuſta ſuæ retulit de Cæſare præmia laudis.
Hinc præſul patrium fortis Nicolaus ouile
Sacchouius tulit, huic primos ceu contulit ortus
Vrbs, illam merito ſemper ſic uexit honore,
Attribuitq́; decus, plebi iucundus & omni

Ioannes a Dulmen Iuris docto Epiſcopus XVIII.

Ioannes Schele Imperatoris Sigiſmūdi Secretarius Epiſcopus XIX.

Nicolaus Sacchouius Epiſcopus XX.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Concilio procerum, uernantis & otia pacis
Complexus, patrijs diſpendia Publica terris
Depulit, & ſacros auxit pietatis honores,
Prouexitq; decus templi, redituſq; uerendi
Collegij. Sacri decus ordinis, inclyta legum
Gloria, ſubſequitur Præſul, non ſacra ſecutus

Arnoldus VVeſtphalus Epiſcopus XXI.

Pulpita, ſed pulchras Arnoldus VVeſtphalus ædes
Struxit, et ingenti paßim collapſa nitore
Mœnia reſtituit, gratißimus hic labor illi
Hoc ſtudium fuit, at ſacras euoluere leges,
Cura alijs, ſenio feſſuſq; labore reliquit,

Albertus Krumedi. Epiſcopus XXII.

Alberto ſacrum fatis extinctus ouile:
Huic patrium Krumedigk, Holſatæ gloria terræ
Nomen erat, æræ nimium qui prodigus æris,
Deſpectorq; rei tenuis, ſumptuq; ſuperbus,
Extenuauit opes ſacras, quæ ſurgit in auras,
Crux ſumma ante Chorum, templiq; nitentia complet
Et loca condecorat, proprio pius extruit ære,
Sacrauitq; illam, quin & breuiaria cultis
Exornare typis, & ſacræ Canonas ædis,
Sublatis Præſul ſtudet emendare lituris:
Præſulis hinc Thomæ cœleſtia munera Magno,

Thomas Grote Epiſcopus XXIII.

Relliquit moriens, hic nullo nobilis uſu,
Aſpectus dulces hominum & conſortia uitans

Tranſi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Tranſsigit ignotum uix paucis cognitus æuum,
Semper & ut latuit, uulgo dixere latentem
Præſidem, & oſorem cœtus, turbæq; ſodalis:
Mox ubi languentis metas abſoluerat æui,
Collegij unanimi ſelectus uoce Senatus,
Inſignis Theodorus erat, quem patria dixit
Arndes, urbs refluis toties quæ tingitur undis
Sex quoties celeri curſu ſol conficit horas,
Et pugile antiquum nomen diducit ab Hama:
Hic quoq; pugnacis lugubria bella Lubecæ,
Indoluitq; graues actos in prælia patres,
Hinc Danos, illinc Obotritos pertulit hoſtes,
Vrbs grauis, aſsiduis neq; conſternata ruinis,
Præſul & innumeris circumdatus undiq; curis
Dum minui ſua iura uidet, hoſtiſq; furore
Omnia diſperdi, rutulis mox tranſtulit aſtris
Mentem, corpus humo. Guilielmus VVeſtphalus illi
Collegij nutu, nec inutilis ordine præſul
Succeſsit, quem laudis amor, quem tollit honeſtas,
Et decus humanæ generoſa modeſtia uitæ:
Hic frugi, rebuſq; ſacris attentus, & omnis
Acer erat uitij uindex, hunc liuida terris
Inuidere diu fata, immaturus ouile
Liquit & egregius Cuſtos gregis: optima terris

Theodericus Arndes Hamburgenſis Epiſcopus XXIIII.

Guilielmus Vueſtphalus Epiſcopus XXV

Mors auſert citius. Viridi Grimholtus in æuo,
Præſul Ioannes ſacrum conſcendit ouile,
Tempore quo rutilis ignis delapſus ab aſtris
Depopulatur opes ſacras, templumq; dicatum
Diua tibi noſtræ genitrix intacta ſalutis,
In cineres uertit triſtes, tenuemq; fauillam.
Tunc etiam Stygias Bellona in dira ſorores,
Prælia commouit, nigraq; egreßa palude,
Cymmerios inuaſit agros, et Balthica latè
Litora deuaſtans, crudelibus intulit umbris,
Terra acies ſtructaſq; mari, flammæq; rapaces
Vndiq; Cæruleas (dolor) abſumpſere carinas:
Fortis Ioannes Daniæ tum ſceptra tenebat,
Rex animo, belliſq; potens, tamen ille peroſus
Arma, laboriferam ſibi conciliare Lubecam,
Plurima conqueſtus belli nocumenta, petiuit:
Felix ter nimium felix, ſi prælia natus
Exoſus, placidæ fouiſſet tempora pacis:
Ille reluctantem dum quaßat fortior urbem,
Eheu quod iugulos, quot triſtia funera auarus
Orcus habet, quantos urbs præſtans paßa labores
Languentes aquilas Danicis uix traxit ab oris.
Hos quoq; Bocholtus, graßante Marte, tumultus
Excipit Henricus, ſacrarum gloria legum

Doctor Henricus Bocholt Epiſcopus XXVI.

Electus

Electuſq; rite præſul, ſed amarior æui,
Iſtius ſeries, & multis perdita bellis
Optatam huic requiem, iucundaq; præripit otij
Tempora, Collegij ſacros cum perdere ſumptus
Non timuit miles: quin plures ille dolores
Pertulit infelix, uarijs Germania technis
Obruta, cum denſis caput exonerare tenebris
Cæpit, & ingentis præcepta ſecuta Lutheri,
Plurima contempſit Romanæ dogmata Papæ:
Hinc dolo hinc toto ſurgens lis impia mundo,
Fœdauit iunctas ciuili ſanguine dextras,
Perdidit & patrias corrupto fœdere uires.
Hic etiam Præſul uidit miſerabile bellum
Vrbis, & infidum ruere in contraria Martem,
Diſcordeſq; iras plepis, triſteſq; merentum
Pœnas, & rupto diuulſos fœdere ciues.
Has inter turbas, atq; arma micantia canus
Occubuit præſes, refluis qua tingitur undis,
Vrbs Iouis Hammonij ficto quæ nomine gaudet.
Huic Reuentlouia Maiorum ſtirpe creatus
Detleuus ſubijt, ſacri non infima iuris
Gloria: conſilium Pallas, ſaturnia Iuno,
Huic uires tribuit, Danicis Conſultor in oris,
Et frederice tuis, Rex o fortiſsime, rebus

Doctor Detleuus Reuelo Regis Friderici Cancellarius Epiſcopus XXVII.

Gran-

Grande decus. Diris heu uirtus obuia fatis
Præſulis, excellens quem ſtirps Rantzouia iactat

Balthazar Rantzouu Epiſcopus XXVIII.

Balthaſarum, hic ſortis triſti molimine captus,
Heu longè patrijs rapitur miſerandus ab agris
Atq; peregrinis moritur captiuus in oris.
Hunc quoq; Vachneſi longè ſors egit ab urbe,

Doctor Ioannes Hotfilterus Epiſcopus XXIX.

Errantes ubi paſcere oues debebat, & acri
Conſilio turpes templo depellere fucos:
Ille ſed Auſonia ſe delectauit in urbe,
Germanæq; procul fugit deliria gentis.

Andreas Barbei Chriſtiãißimi Danorũ Regis ſuprem: Cãcellarius Epiſcopus XXX.

Vltimus at longos ANDREAS uiuat in annos,
Præſul honoratus BARBEY, qui nuper ouile,
Hoc tulit ingenio, & nota uirtute regendum:
Illi Dij tribuant uires, canæq; ſenectæ
Fata leuent, duris & ſi quid forte periclis
Portendunt, ſuperi caueat clementia cœli.

Flectere sed precibus uel quovis carmine fatum
Nemo potest, ~~[illegible]~~ omni nã servat tempore cursũ
Quem statuit, parvos et cum maioribus aufert.

Johannes Tidemãnus Episcopus-

Impius est igitur priuatus munere vitæ
Et jacet hac ~~[illegible] superis [illegible]~~ arena.
At veluti semper Sathana jactante, piorum
Deprimat ut segetes præcepto sole cadentes,
Noxia frugiferis zizania ~~[illegible]~~ agris. crescit in
Sic etiam falsis Ecclesia vera ministris
Ut commixta ruat, noctuq; dieq; laborans
Cluditur, et tales quia possit fraude ministros
Excitat ipse Sathan, simul undiq; collocat illos.
Tali ~~[illegible]~~ more vocatus
ARCUTIRENSIS susceptus episcopus arcis.
Sed vix ipse duos ubi tradita sceptra per annos
Rexerat, hunc curua quæ demetit oĩa falce
Mors tulit: ore Deo laudes Ecclesia cantat.

A° 69.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]

3312.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3312 8° [42,-146]